

vel in parte facta ab herede necessario, Jure communi est irrita. *L. Qui superstitis. ff. de acquirenda hered. & alibi.* Quia e re boni publici esse Jura existant, si hereditates pactis nec dari nec auferri possunt. Dixi: *nuda*, quia, si sit jurata, valet, *cap. Quamvis pactum. De pactis in 6. Item valet, si heres vivo Patre accepit portionem integram, quæ ipsi jure debebatur.* Si tamen portio bona Patris augeatur, poterit petere legitimam hujus augmenti. Item valet, si quis in ipso actu testandi renuntiet juri successione suæ, aut post conditum testamentum, in quo est omissus, omissionem approbet.

R. 2. Omne pactum, de hereditate certæ personæ viventis cedenda alteri particulari est etiam ipso jure irrita. *L. ultima de pactis.* Quia, ut ibi dicitur: *hujusmodi pactiones odiosa esse videntur, & plena tristissimi & periculosi eventus: idque ait Glossa, propter insidias, quæ parantur ejus vitæ, super ejus bonis pactentur.* Dixi 1. *Certæ personæ viventis*, quia valet, si sit incertæ personæ: ut si dones Titio hereditatem quamlibet, quæ tibi in totius vitæ decursu, vel infra certum tempus obveniet; quia tunc cessat periculum vitæ alterius insidiandi. Dixi 2. *Cedenda alteri particulari*; quia valet, si cedatur alicui communitati, quia etiam in hoc casu cessat finis legis, nempe periculi insidiandi vitæ alienæ; quod enim Collegio datur, cum singulorum non sit, quasi nemini datur; & naturale vitium est negligit, quod communitè possidetur, ait Glossa in c. *Cum venisset de Restit. spoliat.* Valebit etiam tale pactum, si accedat consensus illius, de cujus hereditate agitur, *L. ultim. cit. C. de pactis.*

3. Item Jure civili irritum est pactum mutuum de successione reciproca. *L. Licet C. de pactis.* Quia, ut jam dixi, jus hereditatis futuræ pacto acquirit, vel auferri Jura vetant. Valebit tamen, si fiat per modum ultimæ dispositionis utrimque revocabilis, ut frequenter accidit inter conjuges.

R. 4. Jure novo Tridentini, quæcumque renuntiatio, vel obligatio facta a novitio ante duos menses præcedentes professionem, etiamsi sit juramento firmata, est invalida. *Trid. sess. 25. de Regular. cap. 16.*

Hoc autem decreto non comprehendunt ultimæ voluntates semper revocabiles, neque contractus reciproci, in quibus aliquid mutuo datur & recipitur, ut venditio, permutatio, &c. neque modicæ donationes, quia finis hujus legis est ne novitio bonis spoliati inviti profiteantur; quod periculum non currit in his casibus. Comprehenditur tamen renuntiatio, seu obligatio sub conditione futuræ professionis, quia inde etiam læditur libertas Religionem deserendi, cum, qui possident, a possessione semel adeptæ ægrè deiciantur, neque id fiat ordinariè absque querela & contradictione. Utrum verò comprehendatur renuntiatio, seu donatio facta ante susceptionem habitus, intuitu tamen Religionis ingrediendæ? Dubium est, aliis negotiis, aliis affirmantibus. Satis probabile est, quod comprehendatur; tunc quia Concilium non exprimit in suo decreto tempus novitatis: ergo ad illud non debet restringi; tunc quia alioquin Concilium non obtineret finem suum, scilicet libertatem novitorum. Citantur pro & contra declarationes Congregationis Cardinalium.

§. VII. De Executore Testamenti.

Testamenti executor est is, quem testator nominavit: quod si nullus sit nominatus, executori testamenti pertinet ad heredes. Colligitur ex c. *Nos quidem de Testam. l. 3. tit. 26.* Quod sit intra annum executor, aut hæres testamenti executionem non perfecit, devolvitur ad Episcopum, saltem quoad legata pia. *Ibid. & c. Tua nobis infra.* Institui possunt unus, vel plures executores, & quando unus abest, alter potest solus executionem perficere. Item possunt institui foemine. Item & Religiosi de licentia sui Prælati; est enim pium opus c. 2. *de Testam. in 6.* Clementina unica cod. tit. *Excipe Fratres Minores de Observantia, Clementina Exivi. De verborum significat. l. 5. tit. 11.*

Petes 1. Quomodo relicta incerta sint executioni mandanda? R. 1. Si incertitudo se teneat ex parte personæ, puta legatarii, quia duo eodem nomine appellantur, nec aliquibus indicibus potest dignosci, de quo testator sit locutus, quidam arbitrantur legatum in hoc casu inter utrumque pro rata dubii in foro conscientie esse dividendum. Attamen Jure civili legatum corrumpit. *L. Si fuerit & L. Si quis pluribus ff. de rebus dubiis & alibi.* Excipe legata ad pias causas, quæ ob incertitudinem loci, vel Ecclesie non satis distincte expresse non corrumpunt, sed loco, seu Ecclesie pauperiori cedunt. *Authent. de Eccles. tit. c. 9.*

Quod si aliquid sit absolute relictum pauperibus, aut Ecclesie sine ulla expressione loci, nec appareat, de quibus pauperibus, aut de qua Ecclesia intenderit testator loqui, executio fieri debet in loco ejus domiciliæ. *L. Si quis ad declinandum C. de Episcopis & Clericis l. 1. tit. 3.* nisi forte sit extraneus, cujus domicilium ignoretur, aut nihil distet; tunc enim distributio fiet pauperibus, aut Ecclesie loci, in quo mortuus est *L. Nulli C. eodem.* Quidam volunt, nomine pauperum eos solos esse intelligendos, qui victum incertum habent ex eleemosynis fidelium; non autem Xenodochia, vel Monasteria, quæ vel ex fundatione, vel ex eleemosynis collectum victum annuum sufficienter obtinent; sed in his inspicenda est, si potest, intentio testatoris. R. 2. Si incertitudo se teneat ex parte rei legatæ, distinguendum est: Aut enim res est a natura determinata ad certos limites optimi, medioris, infimi, ut bos, equus, vinum, & tunc debet dari una ex mediocribus *L. Legato generaliter 37. ff. de Legatis.* Aut res est non a natura, sed ab arte, vel æstimatione determinata ad certos hujusmodi limites, ut vestis, domus, &c. & tunc executor dando minimum liberatur. *ff. cit. Idem dicendum de rebus legatis in numero, pondere, & mensura, ita quod sufficiat tribuere minimum in eo genere & quantitate. l. 3. ff. De tritico, vino, & oleo legato.*

Petes 2. Utrum ultima voluntas defuncti, præsertim quoad legata pia, possit ab Episcopo, vel executore mutari in alium pium usum? R. 1. Si voluntas ultima defuncti possit honestè impleri, non licet Episcopo, aut executori in aliud opus, etsi videatur melius, commutare. *C. Conquestus. De foro competenti cap. 4. causa 3. q. 2. & Clementina Quia contingit. De Religiosis Domibus,* ubi dicitur: *Cum ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, converti.* Solus ergo Summus Pontifex, tanquam Supremus piarum causarum administrator, potest justa de causa legata pia ad certum usum relicta absolute in alium commutare. Quod etiam aperte innuit *Trid. sess. 2. c. 6. de ref.* Quod autem potest SS. Pontifex circa legata pia, id videtur posse Supremus Princeps circa legata in bonum commune. Verumtamen, si causa aliqua incidens de novo, aut a testatore ignorata subsistat, quam si cognovisset, aliter disposuisset, aut si viveret, bene velle legatum suum in alium usum converteri, probabile est, quod tunc possit Episcopus cum executore in talium alterum usum convertere. v. gr. Testator legavit mille libras pro ornamentis Ecclesie; Ecclesia non indiget ornamentis, puta, quia alter abundè providit, seu indiget restauratione tecti, aut pavimenti, videtur, inquam, quod Episcopus de consensu executoris, aut eo renuente solus possit eas pecunias in hunc usum magis Ecclesie utilem, convertere; non quidem per dispensationem propriam, quæ ad Summ. Pont. pertinet, sed per Episcopum, quod id non sit contra voluntatem defuncti: hanc enim interpretari propriè pertinet ad Episcopum, ut patet ex respons. seq.

R. 2. Si legatum ad pium usum, ad quem Testator destinavit, applicare non possit, non ideo corrumpit, quia principalis intentio Testatoris fuit salus animæ & honor Dei, & ideo ab Episcopo & executore applicandum est ad alium pium usum, conformiter tamen, in quantum fieri potest, voluntati Testatoris: quod si executor sine justa causa abstat, id præstare poterit solus Episcopus: *Quia in omnibus piis voluntatibus est per locorum Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a Testatoribus id contingeret interdici. Cap. Tua nobis. de Testam. libr. 3. tit. 26. & cap. Nos quidem. ibid.*

Petes 3. Quandoquidem executor testamenti debet exequi voluntatem Testatoris? R. *(Quodlib. 6. a. 13. o.)* Statim moraliter, nisi sit justa causa differendi, *cap. Si heredes. De Testam.* Alioquin peccat, non solum contra legatarios, sed etiam contra Testatorem, ubi agitur de legatis piis. Ex hac enim protelatione differuntur suffragia, quæ pro ipso propter legata funderentur, & quibus multum juvaretur. Dixi: *nisi sit justa causa differendi, (Ibid.)* qualis est v. gr. si ad modicum tempus differat, ut rebus defuncti melius venditis, ampliores eleemosynas dare possit; secus, si per multum tempus differat, ut non multo ampliores eleemosynas faciat. Hoc autem requirit prudentis executoris examen, ut scilicet, consideratis dilatione temporis & conditione personæ, quæ creditur citius, vel tardius liberanda, & etiam quantitate augmenti eleemosynarum, faciat, quod videtur expedire defuncto. Cæterum, si executor, seu hæres negligat exequi voluntatem defuncti, aut legata alio detorqueat, Judex sive Ecclesiasticus, sive Ci-

Civilis, Jure communi potest ipsum ad id compellere; est enim officium hujus Jurisdictionis mixti fori, daturque in locum præventionis.

Hæc plusquam satis ad institutum nostrum, licet non-

dum satis pro amplitudine materie, & Legum particularium diversitate; sed, ut jam monui, eas, & in eis peritosis quisque pro sua provincia consultat; nos enim ex Jure communi ut plurimum dictavimus.

DISSERTATIO III.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS,

ET PRIMO

DE VENDITIONE ET EMPTIONE.

Div. Thom. Quæst. 77.

ARTICULUS I.

Quid sit venditio? Quid Emptio?

Contractus venditionis & emptionis originem ducit a commutationibus. Antiquitus enim, antequam pecunia esset in usu, homines permutationibus sibi necessaria procurabant, ut qui habebat vinum ultra necessitatem & indigeret oleo, commutabat vinum pro oleo. At, cum sæpe contingeret, quod unus non haberet id, quo alter indigebat, & iste alter vicissim, resque commutandæ sæpe essent inæqualis valoris, ut si equus cum asino esset permutandus; Jure, & consensu Gentium electa est certa materia, cujus publica & perpetua æstimatio difficultatibus commutationum subvenirerit. Ita *L. 1. ff. De contrah. Empt.* Hæc materia vocatur *numisma*, seu *nummus*, a voce græca *nomos*, id est, *Lex*; quia lege publica quantitate æstimationis consequitur. Item *pretium*; quia rerum omnium commutandarum est publica mensura, & appretiatio. Tandem *pecunia*; quia primi nummi pecudis nota signabantur.

Venditio definitur in Jure: *Pactio mercis pro pretio*; & Emptio *pactio pretii pro merce.* Sont ergo venditio & emptio duo contractus partiales correlativi unum integrum conicientes; qui dicitur emptio venditio, & definitur potest: *Contractus onerosus, mutuo consensu constitutus, dandi mercem pro pretio determinato, & pretium determinatum pro merce.* Et quia tenet locum permutacionis, quidquid dicitur de emptione venditione regulariter est applicandum permutacioni, quæ est contractus inordinatus, *Do, ut des.*

Explicatur. Dicitur 1. *Contractus onerosus*; quia utrimque oritur obligatio, in vendente dandi mercem, in emente dandi pretium. Dicitur 2. *Mutuo consensu constitutus*; quia substantialiter perficitur mutuo contrahentium consensu, signis externis a lege, vel voluntate partium requisitis manifestato; ita ut vi sua transferret dominium etiam absque traditione, nisi obstant Leges Civiles; quibus cautum est, non nisi traditionibus rerum dominia transferri. *L. 20. C. De pactis & L. 9. ff. De pub. in rem act.* Ex quo sequitur, quod iste contractus integretur & compleatur per traditionem, & quod ante illam emptor habeat tantum jus ad rem, ita quod si res empta tradatur secundo emptori, validè tradatur, & primo emptori competat tantum actio in venditorem. Observat tamen Perfector Tourneli ex Jurispræditis Gallis, communiter in Gallia admitti fictam quandam traditionem, vi cuius rei immobilis dominium transferretur in emptorem statim ac perfectum est venditionis instrumentum, cui hæc aut similia verba inferuntur: *A transporte & transport per ces presentes tous droits de propriété, saisines, possessions, &c. sur le dit heritage dont il est saisi.* Sequitur insuper, saltem probabilis, quod si tributum pro venditione sit solvendum, istud debeatur ex ipso contractu initio ante traditionem; quia ut dictum est, mutuo consensu absque traditione est substantialiter perfectus.

Dixi: *Mutuo consensu, signis externis a lege, vel voluntate partium requisitis manifestato.* Quia, si instrumentum venditionis scribi debeat, si emptor rem gustare, probare, videre velit, quamvis de pretio sit conventum, nulla erit obligatio, antequam scribatur instrumentum, res probeatur, aut videatur. *L. 34. ff. De contrah. empt.* In Gallia edicto ann. 1566. venditiones, quæ excedunt 100. libellas, vel debent fieri coram Notario, vel partium subscriptione muniti, nec probatio per testes admittitur.

Dicitur 3. *Dandi mercem.* Per quod intelligitur omnis res pretio æstimabilis & vendibilis, non solum res mobilis venalis exposita, quæ propriè dicitur *merx*, sed & immobili.

Theol. Billuart. Secunda Secunda.

lis item jura, actiones, debita, servitutes, spes lucri; ut jac-tus reus, fructus pecoris, aut arboris, &c.

Dicitur 4. *Pro pretio*; quia, si res pro re daretur, vel pretium pro pretio, non foret venditio, sed permutatio, vel cambium, aut mutuum. Casu autem, quo pro merce daretur partim pecunia, partim res altera, si pecunia superet valore rem alteram datam, erit venditio; si e contra res altera data superet valore pecuniam, erit permutatio; quia a majori parte sumitur denominatio: si sint æqualis valoris, erit tributum solvendum pro rebus venditis in 1. casu debet solvi, non in 2. in 3. verò debet partim solvi.

Dicitur 5. *Pro pretio determinato*; quia, si non determinetur pretium, nulla est venditio. Unde, si emere volenti sic venditor dicas: *Quanti velis, quanti equum putaveris, quanti æstimaveris: habebis emptum*, nulla est venditio. *L. Quod sæpe 35. §. 1. ff. De contrah. empt. l. 18. tit. 1.* Similiter, si dicat: *Justo pretio*, nisi forte pretium sit lege taxatum, non est venditio. Secus, si pretium alicui tercio remittatur determinandum; ut si dicat emptor: *solvam, quod Titius decreverit. L. Ultim. C. De Contrah. empt. l. 4. tit. 38.* Similiter, si dicat: *emo quanti emisti, quanti venditur, aut vendetur tali tempore, in talibus mundis*; quia sic pretium est determinatum. Sicut autem pretium debet esse determinatum, ita videtur, quod merx debeat esse determinata, saltè quoad speciem, ut una ovis, duo boves.

ARTICULUS II.

Utrum liceat rem carius vendere. aut vilius emere, quam valeat?

Extra dubium est (*Q. 77. a. 1. o.*) rem vendere pluris, aut emere minoris justo pretio, fraude adhibita, ut frequentissimè contingit inter mercatores, esse ex genere suo peccatum mortale injustitiæ; quia est decipere proximum in ipsius damnum, quod est aperte contra Justitiam ipsi debitam, & consequenter obnoxium restitutioni. Sed quid, seclusa fraude?

Dico 1. *(Ib.)* Carius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, etiam seclusa fraude, est secundum se illicitum & injustum, proindeque restitutioni obnoxium. Ratio est; *(Ib.)* quia emptio-venditio est introducta pro communi utilitate utriusque contrahentis, dum scilicet unus indiget re alterius, & e converso; quod autem pro communi utilitate inducitur, non debet esse magis in gravamen unius, quam alterius, alioquin non servaretur æqualitas inter contrahentes, consequenter nec Justitia, quæ in æqualitate consistit.

Dices 1. Jure civili *C. l. 4. tit. 44. l. 2. ff. tit. 8.* rate habentur venditiones & emptiones, in quibus non servatur, justum pretium, modo non sint infra, aut supra mediocritatem justipretii: ergo. R. D. Ant. *(Ibid. ad 3.)* rate habentur, hoc sensu quod probentur, N. Hoc sensu quod tolerentur, quatenus ejusmodi venditiones Jus civile neque punit, neque contra eas dat actionem in foro exteriori, C. Et hoc ad vitandas lites, quæ continuo nascerentur, tunc ex vitiosa propensione, quam quisque habet emendi vili, & vendendi care; tunc ex difficultate probandi, quale sit summum, aut infimum pretium vulgare, quod admittit latitudinem, ut dicam modo.

Utrum verò daretur actio in foro exteriori contra venditiones, & emptiones supra, vel infra justum pretium lege taxatum, etiamsi non essent infra, vel supra mediocritatem justipretii? Quidam affirmant; quia, cum hoc pretium consistat in indivisibili, facile potest dignosci excessus etiam levis; nec tam frequenter contingunt transgres-

Quis sit justus rerum valor, seu justum pretium?

siones. Idem propter easdem rationes est dicendum, si fraus adhibeatur in transgressione cuiusvis pretii, & ita supponit S. Th. hic in corpore. Sed namquid semper fraus adest, dum venditur supra, aut emitur infra justum pretium? equidem semper adest fraudatio; quia aliquid injuste accipitur; sed non semper adest fraus, quia fraus importat aliquid ex parte agentis, quo alter inducitur in errorem: potest autem alter induci in errorem ex propria simplicitate, aut imprudentia, absque eo quod aliquid agam in hunc finem, ut si mihi offerat rem venalem pretiosam tanquam vilem, & ego pretio proposito emam. Vel si ego vendens simpliciter rem meam venalem offero, aut simpliciter dicam: volo tantum vendere, & ipse acceptet, non ego decipio, sed ipse se decipit.

Verum hæc spectant forum exterius (*Ib.*) ideoque nihil ad nos, qui damnnum attendimus coram Deo, in quo Lex divina nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium: secundum verò Legem divinam illicitum reputatur, si in emptione & venditione non sit æqualitas iustitiæ observata; tenetur ille, qui plus habet, recompensare ei, qui damnificatus est.

Instabis. L. *In causa* 15. §. 4. ff. *De minoribus* l. 4. tit. 4. dicitur: In pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire, id est, se decipere: ergo huiusmodi venditiones & emptiones, non solum Jure Civili tolerantur, sed & probantur ut naturaliter licite. Idque probare videtur Jus Canon. siquidem cap. *Cum dilecti*. & *empti & venditi*. Extra l. 3. tit. 17. Alex. III. declaravit irritam Sententiam, qua rescindebatur venditio facta infra dimidium justii pretii. R. Hanc Pomponii Legem, vel rejiciendam esse tanquam falsam, atque recte rationi, divinis mandatis, Religioni Christi, & Apostoli Doctrinæ ad Thesal. 4. contrariam; vel dicendum cum multis Juris Interpretibus, Tò naturaliter idem valere ac Jure Gentium; ita ut sensus sit: Jure Gentium licet, seu non prohibetur contrahentibus se circumvenire; vel tandem intelligenda est de circumventionem improprè dicta pro conatu, quem adhibent vendentes & ementes, hi ut carè vendant intra tamen limites justii pretii. Ad cap. *Cum dilecti*. R. Alexandr. III. irritasse hanc Sententiam, non quod approbaret venditionem factam infra dimidium justii pretii; hanc enim nec approbant ipsa Jura civilia; sed quia, ut ibidem dicitur, in arbitrio emptoris erat, vel supplere justum pretium, vel rescindere venditionem; quapropter Judex non debeat absolute decernere rescissionem venditionis, sed disjunctivè, vel rescissionem, vel supplementum justii pretii, & ideò ejus Sententiam irritat Pontifex.

Et hinc inferes, quòd, si ipse emptor fuerit fraudatus supra dimidium justii pretii, sed rem vel alienaverit, vel deterioraverit, amittit jus actionis in foro externo; quia non potest amplius petere alternativè, vel restitutionem excessus pretii, vel rescissionem venditionis, cum res non amplius existat integra.

Repones: Quod est omnibus commune, videtur esse naturale, & non esse peccatum; atqui velle vendere carius & emere vilis est omnibus commune: ergo. Prob. minor ex S. Aug. qui l. 13. *de Trinit.* c. 3. refert, quòd cum quidam mimus annuntiasset suis auditoribus se proxima vice revelaturum, quid unusquisque vellet interius, dixit: *Vili vultis emere, & carè vendere*; quod dictum fuit ab omnibus acceptum: ergo. R. ex ipso Aug. *ibid.* (*Ib. ad 2.*) quòd mimus ille, vel seipsum intendo, vel alios experiendo, credidit, vili velle emere & carè vendere esse omnibus commune; sed quoniam reverà verum est, potest quisque adipisci iustitiam, qua huic resistat & vincat; & ponit exemplum de quodam, qui postulanti ex ignorantia modicum pretium pro libro, justum dedit pretium. Undè patet, quòd illud commune desiderium non est nature, sed vitii; & ideò commune est multis, qui per latam viam vitiorum incedunt.

Dices 2. Scienti & volenti non fit injuria: ergo. R. De fraudatum plerumquè ignorare justum rei pretium, sique non est sciens. Et dato quòd non ignoret, non dat omnino volens, sed aliquo modo invidus; quia indiget: sicut, qui solvit usuras, aut qui dat mansupium latroni, ut effugiat mortem.

Dico 2. (*Ibid. o.*) Per accidens res licitè potest vendi pluri, aut emi minoris, quam secundum se valeat, ratione nempe alicujus circumstantiæ, puta, si quis in gratiam alterius ipsi vendat rem sibi valde utilem; & ex cuius privatione patitur damnnum, potest illi vendere pluri, quam secundum se valeat, licet non pluri quam valeat habenti. Verum hæc conclusio fusiori indiget explanatione, quam dabimus, postquam discussimus, quia sit justus rerum valor. Undè sit

Nota generalitèr loquendo, ille est justus rei valor, seu justum pretium, quod est commensuratum rei non physicè consideratæ, sed moralitèr, & in ordine ad usum, & convictum humanum: cum enim subalternaria sint propter hominem, tanti valent civili æstimatione, quantum homini deserviunt: hinc pluri valet panis, quam mus; quamvis mus, utpotè animal vivens, sit majoris dignitatis naturalis, quam panis. Undè S. Aug. 11. *de Civit.* c. 16. dicit: *Quis non domi suæ panem habere quam mures nummos quam pulices malit? Sed quid mirum, cum in ipsorum etiam hominum æstimatione, quorum certè natura est tantæ dignitatis, plerumquè carius computatur equus quam sercus, gemma quam familia.*

Sed quæstio est, cujus sit definire in particulari, quanti res unaquæque valeat ad usum humanos? Ad id enim non sufficit prudentia venditoris, aut emptoris cum non possint esse Judices in propria causa, neque alter alteri morem gerere teneatur. Igitur.

Dico 1. Duo sunt, quibus constituitur justum rerum venalem pretium, nempe Republicæ auctoritas, seu ii, qui ab illa auctoritatem habent, ut sunt Principes & Magistratus, & communis æstimatio fori, seu hominum intelligentiam. Primum pretium vocatur *legitimum*, quasi a lege taxatum. Secundum vocatur *arbitrarium*, seu vulgare. Justum ergo rerum pretium illud est, quod vel ab auctoritate publica, vel communi hominum æstimatione est determinatum.

Prob. 1. pars. Sicut ad Republicam, seu ad eos, qui ejus auctoritate funguntur, spectat leges ac statuta condere ad bonum commune, ita & pretia rerum statuere ad idem bonum commune, ut nimirum cupiditati, & fraudibus vendentium ac ementium obvietur, pauperumque expilationes impediatur: ergo, sicut alia statuta ac leges Republicæ sunt servanda, ita & ea quæ pretia rerum statuunt. Confirmatur: Judicium Republicæ, seu Magistratum in considerandis rerum utilitatibus, & omnibus circumstantiis, est regularitèr prudentius & attentius: ergo standum est illi regularitèr. Dico: *regularitèr*; quia sunt quedam exceptiones.

1. Exceptio est: si huiusmodi iudicium, seu taxa continet manifestam, & intolerabilem injustitiam, sive ex odio in venditores, sive ex propensione in emptores, sive ex inconsideratione & ignorantia procedentem. Id tamen non debet facile præsumi; & in dubio huic taxa est standum, ut communitèr docent Theologi. 2. Est, si ex mutatis circumstantiis, quas Magistratus prævidere non potuit, taxatum ab eis pretium evadat injustum, ut si inopinato adveniat magna copia mercium. 3. Si pretium vulgare uti prævaleat, sciente, & non contradicente superiore, quia tunc tacitè consentire censetur. 4. Si merx aliqua sit aliis communibus longè præstantior (dico *longè præstantior*; hic enim parum pro nihilo reputatur) potest vendi aliquanto pluri supra taxatum prærium: sicut debet vendi infra, si sit longe vilior, quia taxa intelligitur de rebus ordinariæ bonitatis. 5. Item taxa non obligat, quando faver contrahenti; undè si facta sit in gratiam emptorum, ut fit communiter, venditor quidem non potest pluri vendere, sed emptor potest minoris emere. Si e contra facta sit in gratiam venditorum, ut contingit in venditione census, eò quòd ordinariè non vendantur nisi necessitate cogente, non potest emptor minoris emere, sed potest venditor pluri vendere; quia nemo favore obligatur.

Prob. 2. Pars conclusionis 1. Ex Jure L. *Si servum* 33. ff. *ad legem aquilianam*. Libr. 9. tit. 1. dicitur: *Pretia rerum non ex affectione, nec utilitate singulorum, sed communiter fingi*, id est æstimari. Idem repetitur L. *Pretia* 63. ff. *ad leg. falcid.* l. 35. tit. 2. Ubi loco *fingit*, legitur *funguntur*, & subit Glosa. *Dic communiter funguntur scilicet pretium, id est, statuantur*. Prob. 2. ratione. Quia iudicium privatum est sæpè cæcum & fallax, atque cupiditate facile pervertitur; iudicium autem commune regularitèr est prudentius, & attentius, & minus errori obnoxium: ergo quando non est certior regula, illi standum est circa pretia rerum: ideòque Jure gentium merito statutum est id habendum esse pro justo rerum pretio, quòd communis æstimatio, attentè rerum utilitate, & aliis circumstantiis communiter cognitis, ut modo fusius explicabo, constitueret; dico: communiter cognitis; quia communis æstimatio non desumitur ex privata unius alteriusve cogitatio-

ne circa rerum utilitatem & circumstantias, sed ex communi notitia, ut dicunt Jura cit.

Dico 2. Hæc duo pretia in eo differunt, quòd legitimum consistat in indivisibili, vulgare vero admittit latitudinem. Ratio est; legitimum determinatur ab uno, vel a pluribus in unum concurrentibus, & ideò potest determinari in aliquo puncto indivisibili. Posset etiam determinari in aliquo divisibili, si sic vellet Republica, sed id fieri non solet. Pretium autem vulgare determinatur a iudicio plarium, qui cum non omnes idem iudicent de valore rei, sed alii paulo plus, alii paulo minus, quòd enim unus æstimat 9. alter æstimat 10. necesse est dari aliquam latitudinem, intra cuius limites sistat iustitia huius pretii. Igitur minimus excessus in pretio legitimo est injustus, & obligat ad restitutionem: ut si pretium legitimum modò tritici sit taxatum ad 10. libellas, qui vendendo excederet uno, duobus, aut tribus assibus, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem: e contra in pretio vulgari potest esse variatio absquè injustitia, modò sistat intra ejus latitudinem.

Huius autem latitudinis assignantur tres gradus, infimus, medius, & supremus. Ut si pretium medium ulnæ panni v. gr. sit 10. infimum erit 9. supremum 11. ita quòd unicuique sit licitum illa iustitia vendere 11. 10. & emere 9. quia hæc tria pretia continentur intra latitudinem justii pretii arbitrarii. Dico: illa iustitia; quia posset peccare contra charitatem, qui pauperi valde indigenti venderet supremo, aut a paupere præ inopia vendente emeret infimo.

Quidam censent, hanc latitudinem crescere proportionatè ad quantitatem pretii, seu rei pretiositatem, ut si res medio pretio valeat 10. valebit infimo 9. supremo 11. & sic erit latitudo trium. Si verò res valeat medio pretio 100. valebit infimo 95. supremo 105. & sic erit latitudo decem. At, licet id sit regulariter verum, videtur tamen esse magis attendendum ad usum fori, quam ad rei pretiositatem; sicut enim ex usu fori pendet pretium vulgare, ita & ejus latitudo magis, quam ex rerum pretiositate: adde, quòd aliquoq; cresceret in infinitum. Itaque vendere supra pretium legitimum, aut supra supremum vulgare, & emere infra legitimum, vel infra infimum vulgare, hoc est, quòd dixi articulo præced. esse injustum & restitutionis obnoxium. Et hinc colliges, hoc tritum axioma: *Res tanti valent, quanti vendi possunt*, desumptum ex L. *Si quis uxori* §. *ultimo ff. de furtis* & alibi, non esse verum, nisi intelligatur, quanti vendi possunt intra latitudinem justii pretii.

Dico 3. In statuendis rerum pretiis, sive Republica, sive communis hominum æstimatio, attendit, non solum utilitatem rerum secundum se, sed etiam plura alia, quæ extrinsecè concurrunt ad augendum, vel minuendum rerum valorem; nimirum officium mercandi, industriam mercatoris, modum vendendi acervatum, vel minutatum, sumptus, labores, & pericula, quæ communiter occurrunt in rebus comparandis, vel distrahendis: hæc enim omnia sunt plus, vel minus pretio æstimabilia. Item copiam, vel inopiam mercium, pecuniæ, vendentium & ementium, communiter cognitam. Quando enim merces sunt raræ, & plures eas querunt, aut pecunia est communis, pluri æstimantur: quando e contra merces sunt copiosæ, & pauci eas querunt, aut pecunia est rara, minoris æstimantur. Et hæc est causa ordinaria, cur sæpè & subito variantur rerum pretia, & modò crescant, modò decrescant, ita ut in iisdem mundanis merces sæpè initio carius vendantur, quia tunc fervent multi emptores; in fine vilis, quia languent, aut deficient emptores.

Ex dictis inferes 1. quòd, quamvis officium mercandi, industria mercatoris, modus vendendi minutatum, sumptus, labores pericula communiter occurrantia sint, ut dixi, pretio æstimabilia, non possit tamen mercator illorum ratione vendere majori pretio, quam communi, quia & ista omnia fuerunt æstimata in taxatione pretii communis. Advertunt tamen casuum arbitri, quòd, qui non est mercator, possit eodem pretio vendere, quia est pretium commune. Neque etiam ultra commune pretium vendere potest, qui ex sua, vel incuita, vel imprudentia, vel casu subito graviora pericula, seu majores sumptus, aut labores, quam alii communiter subeunt. Quia 1. pretia rerum non crescant, aut decrescant ex hoc, quòd uni, vel alteri contingit, sed ex hoc, quòd communiter accidit. 2. Quia nullatenus æquum est, ut imprudentia, aut adversa fortuna venditoris noceat emptori, sique subeat onus reparandi huiusmodi detrimenta. Undè, si incautus rem emeris plusquam communiter vendatur, tuæ incuita im-

Theol. Billuart. Secunda Secunda.

puta; nec enim ideò potest pluri vendere, quam communiter venditur: si vina in tuo cellario effluerint, si grando segetes tuas concalaverit, non ideò potes vendere vinum, aut frumentum majori pretio, quam communi. Ratio data est; & insuper, quia in taxatione pretii communis consideratur, quòd hæc quandoquè contingant.

Inferes 2. merces ultroneas licitè minoris emi, seu, ut communiter dicitur, vilescere; non præcisè, quia sunt ultroneæ, sed quia tunc, vel est copia huiusmodi mercium; vel inopia emptorum. *Si enim addescent emptores*, inquit hic noster Cajetanus, *tanti, aut quanti tanti emeretur ultronea merx, quanti retenta apud mercatores*. Quapropter contendit Eminentiiss. Auctor, quòd, ut merx ultronea vilescat, debeat promulgari, ne, inquit, occulta venditio sit causa penuriæ emptorum. Ex quo infer noster Serra, quòd, si quis necessitate compulsus alicui secreto rem suam venalem offerat, non ideò vilescat, nisi constet, etiamsi promulgaretur, raros reperiri emptores, nec esse majus pretium invenendum. Hæc facit propositio sequens damnata a Facultate Parisiensi ann. 1663. quam refert Perfector Tournelli. *Potes aliquid emere rem vilis ab eo, qui vendit necessitate compulsus; quia ex modo vendendi minuitur.*

Quòd si res foret parum utilis emptori, eamque emeret in gratiam & ad instantiam venditoris, qui non vult querere alios emptores, potest absquè scrupulo minoris emi, non solum quia desunt emptores, sed quia minus valet ementi, indeque pateretur damnnum, si tanti emeret, quanti valet secundum se.

Petes 1. Quid censendum de illis, qui mendaciis, & perjuriis efficiunt, ut vendant justo quidem pretio, sed summo, aut emanent infimo? v. gr. jurando falso rem sibi tanti constare, tantum ab aliis esse oblatum, &c.? Casus quotidianus. R. Non videri posse excusari a peccato mendacii & perjurii; quia dato quòd alii ipsis non credant, dicunt tamen & jurant ea intentione, ut credant alii, sicque eos ad summum pretium pertrahant. Quidam eos excusant, si dum jurant rem tanti sibi constare, computent pericula, labores, interesse pecuniarum, stipendia famulorum, & similia: sed neque hoc verum puto, nisi sic intelligent emptores.

Quantum verò ad injustitiam & obligationem restituendi a multis excusantur; quia, inquit, omnes norunt esse actus mercatorum, ut carius vendant, aut vilis emant. Undè nemo illis fidem adhibet, neque eorum mendaciis decipitur, nisi qui vult decipi. Ii ergo, qui nimium creduli fidem illis habent, sibi imputent. Verum, quamvis ita plerumquè contingat, id tamen universalitèr asserere non ausim, maxime dum interponunt juramentum, aut ita mendacium fiant, ut omnino appareant sincerè loqui; quòd cum accidit, & inde fit, quòd emptor emat majore pretio, quam alias emisset, vendens peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem. Quia emptor habet jus, ne fraude cogatur emere summo pretio, cum posset inferiori; atqui in casu hoc jus violat fraudulentus, sique est causa injusta, cur emptori cesset lucrum: ergo peccat contra iustitiam, & tenetur restituere, quòd superat pretium, quo sine fraude emisset.

Petes 2. Quid de illis, qui interrogati quanti velint suam mercem vendere, respondent, tanti exigendo scilicet supra pretium supremum? R. Si intendant revera hoc pretio vendere, voluntate peccant contra iustitiam, & si ab aliquo ignaro pretium recipiant, tenentur excessum supra justum pretium restituere. Si verò nihil aliud intendant, quam dare emptori locum loquendi, & suum pretium offerendi, ut sic licitè reddatur ad justum pretium, quamvis primò intuitu videantur mentiri, eos tamen aliquatenus excusant graves Auctores, si nempe notum, & solitum sit in tali foro mercatores sic loqui dumtaxat, ut emptores ad justum pretium reducant.

Petes 3. Utrum, qui postquam mercem vendidit pretio infimo, vel mediocri, possit aliquid de quantitate detrabere, vel adulterare, ut obtineat summum pretium? R. Negative; quia vi conventionis, & obligatur vendens, & habet jus emens ad talem, & tantam mercem: ergo vendens eam minuendo, aut adulterando violat jus emptoris, nec suæ obligationi satisfacit, sique tenetur ad restitutionem. Neque dicas, ipsum dare mercem pretio justo commensuratum; id enim verum est de pretio secundum se spectato; non verò de pretio, de quo fuit legitime conventum. Imò, si id faciat vendens, ut hac arte fraudulenter alliciat emptores, quasi ipse viliori pretio, quam alii, vendat, reus est insuper injustitiæ erga alios mercatores, ipsisque tenetur de damno; quia unusquisque habet jus strictum, ut vi, vel dolo impediatur a lucro sperato, & pa-

re eo pretio, quo alla venduntur. Idem est, si frumentum, aut vinum sit equidem commune, sed purum, & alii passim non vendunt nisi mixtum, aut adulteratum. Ita Soto, Sylvius, Serra, Pontas, & communis contra quosdam, qui vel id omnino negant, vel saltim negant de vino aqua mixto.

Prob. venditor in casu nec damnum, nec injuriam facit emptori: ergo. Prob. ant. Vendit illi rem equalis bonitatis, valoris, & utilitatem ad usus humanos, ac eam quam ab aliis emerit, & aliunde non tenetur illi tradere, quæ sit majoris bonitatis & valoris, quam alii traderent: ergo. Et hoc verum est, etiamsi pretium sit taxatum a lege; quia pretia rerum taxantur, ut jam dixi alibi, secundum bonitatem, non exquisitam, sed communem, quam habent. Confirmatur ab absurdo. Ex opposita Sententia sequeretur, quod, qui frumentum suum purgasset ad molendum vel serendum, & postea vellet vendere, non posset rursus miscere paleas, a quibus purgasset, sed teneretur ipsum selectum & purgatum vendere, dum alii mixtum paleis venderent equali pretio; quod videtur absurdum.

Dices 1. Hujusmodi venditores utuntur fraude: ergo. R. D. ant. utuntur fraude nociva emptori, N. non nociva emptori, ut patet ex prob. conclusionis, C. ant. & N. conseq. Non enim pretium rerum attenditur ex fraude, sed ex valore rei; valet autem res æquæ ac aliæ, quæ communiter venduntur.

Dices 2. Talis venditor vendit plus quam tradat: ergo. Prob. ant. Suppono, quod miscuerit duo pocula aquæ decem poculis vini, vendit duodecim pocula vini, & tradit tantum decem: ergo. R. N. ant. Ad probat, dico, quod verè tradat 12. pocula vini, non puri quidem, sed mixti, & hæc 12. pocula vini mixti æquivalent 12. poculis vini puri communis, ut suppono. Sicut 12. modii selectissimi frumenti, paleis mixti, æquivalent 12. modii frumenti communis.

Dixi: non videtur injustum; quia communiter id est illicitum, nisi fiat ex aliqua causa urgente; id enim communi fidei & sinceritati commercii repugnat, cum emptores intendant emere merces integras; idque odiosum habet Republica, nec congruit, ut mercatores constituantur iudices in propria causa; multi enim ex cupiditate luti existimant merces suas adulteratas æquivalente communibus, cum sæpe sint diversæ, & diversos habeant effectus, ut ostendit S. Th. (*Ibid.*) de auro sophisticato; & sæpe accidit in medicamentis, dum datur quid pro quo, licet asserant pharmacopolæ æquivalere; item in vino mixto, quod, quamvis fortè gustui magis sapiat quam vinum purum, sæpe tamèn non habet eosdem effectus, quin imò quandoque habet nocivos, nec tandùm potest servari. Tunc ergo solum arbitramur licere absque ullo peccato merces adulterare, & adulteratas ut communes vendere, quando certò constat eas æquivalente communibus ad omnes usus, quos intendit emens, & dominus eas non potest justo pretio vendere, ita ut non possit indemnitati suæ consulere, nisi aliquid vilius immiscendo usque ad æquipollentiam communium.

Sed numquid posset indemnitati suæ consulere detrahendo aliquid de mensura, aut pondere petito? R. Probabilis negativè; quia, quando emptor petit poculum vini, aut unam panni, intercedit conventio inter ipsum & venditorem de tali mensura, ex qua conventionem vendens obligatur, & emens habet jus ad talem mensuram: dum ergo venditor minuit de mensura, peccat contra justitiam, non quia non dat mercem commensuratum pretio secundum se, quia non satisfact obligationi conventionis, & violat jus ex ea emptori acquisitum. Confer, quæ dixi supra art. 3. Petit, 3. Sed si fortè venditor iniquitate ementium vendere minoris justo pretio, posset tunc consulere suæ indemnitati, vel adulterando merces, vel minuendo de mensura petita; quia injuria & involuntariè secundum quid consensit.

Dico 4. Venditio, propter defectum rei illicita, de qua in prioribus conclusionibus, quandoque est valida, quandoque invalida, quandoque rescindibilis, quandoque non. Est invalida, si defectus sit circa substantiam rei totalitèr, aut circa accidens redundans in substantiam rei, ex quovis capite promanet ignorantia defectus, & licet non det causam contractui; quia deest consensus in rem, ut si vendas vitrum pro gemma. Idem dic de emptione, ut si emam gemmam pro vitro. Dixi: totalitèr circa substantiam rei; quia, si esset tantum partialitèr, ut vinum mixtum aqua, id magis pertinet ad defectum qualitatis, quam substantiæ.

Si defectus sit circa qualitatem, aut quantitatem, hoc est, circa mera accidentia, valida est venditio; quia est consensus sufficiens in rem: sed, si ignorantia defectus sit ex dolo alterius contrahentis, & sit causa venditionis, est rescindibilis ad nutum decepti, qui habet actionem redhibitoriam, propter injuriam sibi factam: si autem ignorantia defectus non sit ex dolo vendentis, etiam si sit causa contractus, venditio non est rescindibilis, sed deceptus habet actionem *quanti minoris*, hoc est, habet jus, ut compenseur pro damno, quod patitur. Hanc conclusionem summam propositam fusiùs explicatam & probatam habes Dissert. 1. de contract. in genere a. 3. illic recurre.

Sed jam difficultas est, quandomam venditor, aut emptor censeatur adhibere dolum. Id facere potest duplicitèr: positivè, & negativè. Positivè verbis & factis: verbis, quando mendacis conatur occultare vitium suæ mercis, non equidem si generalitèr extollat mercem suam; id enim commune est omnibus vendentibus, & id probè sciunt emptores, neque inde decipiuntur; sed bene, si asserat non habere hunc defectum. Factis, si arte, quam dicunt *mangonium*, faceret suas merces ut meliores quam sint appareant, v. gr. si grana selectoria in summatate sacci ponat, aut ligna grossiora in superficie struit, quò totum sit ejusdem qualitatis, si guttulum mercurii infundat in auribus equi, ut generosior & vegeior appareat, si angulum & tenebras quarat, dum merces venales offert, & sexcenta alia, quæ cupiditas lucri adinvenit. Hæc tamèn intellige cum isto moderamine, quod dolus non sit communis, nec notus emptoribus, alioquin non censeatur illo decipi: sicut omnibus notum est, mercatores solere aliquantulum fucare suas merces, & meliora exterius apponere.

Negativè autem fraudem adhibet, qui non aperit defectum rei suæ, quando tenetur aperire: sed quæstio est, utrum & quando tenetur aperire. Pro quo sic

ARTICULUS VI.

Utrum venditor teneatur aperire vitium suæ mercis?

Nota. (*Hic a. 3. o.*) Vitium vel est occultum, vel manifestum: item vel reddit rem emptori inutilem, seu nocivam, vel non; item vel venditor interrogatus de vitio rei, vel non. Tandem venditor, vel detrahit de pretio pro ratione vitii, vel non. Hæc omnia sunt pro resolutione quæstionis distinguenda. Et quantum ad ultimam suppono, venditorem in omni eventu, sive teneatur dicere vitium, sive non, debere detrahere de pretio pro ratione vitii, alioquin venderet rem defectuosam pro integra, quod improbatum est art. præced.

Dico 1. Venditor, interrogatus de vitio suæ mercis, quæcumque sit, sive occultum, sive manifestum, sive reddat rem inutilem emptori, sive non, sive minuat de pretio, sive non, tenetur illud aperire, alias contractus est nullus & injustus. Est communis. Quia 1. dum emptor sic interrogatus significat se non velle emere rem defectuosam, ideoque deest ejus consensus. 2. Quia venditor ratione officii tenetur aperire qualitatem suæ mercis, quando de ea interrogatur, alioquin innumeris fraudibus sordesceret venditiones, cum nemo ipso meliùs censeatur mercem suam noscere; & ideo, si interrogatus taceat, est venditor dolosus, & ejus dolus dat causam contractui.

Excipiunt tamèn plures, nisi vitium sit ita parvi momenti, ut eo cognitio rem nihilominus emisset emptor: tum quia hæc est communis mercatorum praxis, ut etiam interrogati minima taceant, idque sciunt emptores: tum quia durum nimis videtur strictè adstringere mercatores, ut quamvis interrogati omnia etiam minima vitia detegant, modo pro ratione vitii etiam minimi pretium inintant. Et hoc maxime verum est, inquit Lessius post Victoriam, quando emptor expressè non rogat de vitio, sed simpliciter petit rem bonam & utilem sibi exhiberi.

Quidam etiam excipiunt, si venditor emptori interroganti apertè & sincerè respondeat se nolle vendere mercem suam, nisi prout est in se, utcumque sit; hæc enim declaratione satis ostendit mercem suam aliquo vitio laborare; undè si, hoc non obstante, emptor illam emat, & sit deceptus, suæ imprudentiæ imputare debet; & non venditori: is tamèn debet minuire de pretio pro ratione vitii.

Secus autem esset, ut advertunt Casuiste, si ea arte declararet defectus rei, ut potius crederet nullum habere, nempe si dicit: vendi tibi hunc equum ut est, nolens ullo ejus defectu teneri; & ideo vendo tibi ut cœcum, claudum, sternacem, morbidum, segnem, &c. recensens in tèt eos defectus, quibus evidentèr caret, illum, quo ve-

rè laborat, ut sic mentiendi in aliis credatur etiam mentiendi in illo. Est enim hæc aperta fraus nociva emptori. Dico 2. (*Ibid.*) Venditor etiam interrogatus tenetur manifestare vitium occultum rei suæ, si reddat rem emptori noxiam, vel inutilem ad finem, ad quem emit, etiamsi detrahat de pretio pro ratione vitii. Puta, si emat ad prælitum vendat equum claudicantem pro veloci, si vendat domum ruinosam pro firma, cibum corruptum, aut venenosum pro sano. Quia, cum ipse recipiat pretium bonum & non defectuosum, sine justa ratione præbet occasionem damni & periculi, quod est illicitum & injustum. Insuper deest sufficiens consensus ex parte emptoris; quia error ejus versatur circa substantiam rei, vel circa accidens principalitèr incertum et redundans in substantiam rei; intendit enim principalitèr emere rem sibi utilem, non tamen, rem non censeat emptori noxiam, aut inutilem, si, quamvis ipse ea uti non possit ad suos fines, potest tamèn, etiam detecto vitio, facillè & sine ullo gravamine eodem pretio vendere aliis, quibus est utilis. Ita apertè indicat S. Doctor loco cit.

Dico 3. (*Ibid.* & quodl. 2. a. 10.) Si vitium occultum non reddat rem noxiam, vel inutilem emptori, & venditor subtrahat de pretio pro ratione vitii, non tenetur illud manifestare. Est communis cum Auctore; quia, positus his conditionibus, justa est venditio, cum sit æqualitas inter rem & pretium, nec ullum damnum, aut periculum sequatur emptori, & aliunde venditor habet justam rationem hujusmodi vitia tacendi, nimirum ut consulat indemnitati suæ; si enim hæc aperiret, emptor vellet plus subtrahat de pretio, quam esset subtrahendum, contentens majus esse malum, dum venditor contenderet esse minus, sicque forent continue contentiones inter ementes & vendentes; & hi non possent vendere minutatim nisi merces perfectas & integras, cum tamèn emant acervatim integras simul & defectuosas, unde cessaret negotiatio in detrimentum Reipublicæ. Facta tamèn venditione debet emptor moneri de defectu, si sit periculum, ne ipse majori pretio aliis vendat, tamquam integram, aut ne diutius velit servare, cum servari non possit, aut ne suo vitio inficiat alias, ut ovis morbidus.

Dices: Ex parte venditoris est dolus, ex parte emptoris deest consensus, si enim scivisset defectum, non voluisset emere, aut non tanto pretio, sicque est deceptus, R. Non esse dolus ex parte venditoris, quia non est dolus, dum quis tacet, quod non tenetur prodere. Venditor autem non tenetur prodere vitium suæ rei, nisi vel rogatus, vel habet sequatur emptori, ut probatum est; sed e contra damnum suum tacendo consulendi indemnitati suæ, consequenter nullam facit injuriam emptori; neque ex hujus parte deest consensus, quia, quod non consensusset, si scivisset, non facit quod de facto non consensusset: alias vix ullus contractus subsisteret, ut latius dixi de contractibus in genere. Neque ideo debet dici deceptus; quia, ut ait S. Doctor, (*Quodl. cit. ad ult.*) Deceptio non est, si id, quod taceat de re vendita, non facit rem minus valere, quam pretium, quod pro ea accipitur.

Dico 4. (*Hic a. 3. o.*) Si vitium sit manifestum, puta, si equus sit monoculus, venditor non rogatus non tenetur per se loquendo illud manifestare; quia, cum de se pateat, supponitur illud ab emptore deprehendi.

Dixi: Per se loquendo; quia, si venditor advertat emptorem præ simplicitate, aut inadvertentia illud non apprehendere, & sit vitium, quo res fit ipsi inutilis, aut noxia, tenetur monere non solum ex charitate, sed etiam ex officio, sed, ut arbitror, etiam ex Justitia; quia, licet vitium sit secundum se manifestum, est tamèn respectu illius emptoris occultum, sicque militat rationes 2. conclusionis.

Quæ dixi de venditore respectu rei vendendæ, applicanda sunt, ut plurimum emptori respectu rei emendæ, ut magis patebit ex articulo seq. quem pono ad majorem elucidationem præsentis. Undè sit

ARTICULUS VII.

Utrum Venditor, qui novit pretium mercium brevi minuendum ob futuram earum copiam, teneatur id manifestare emptoribus, vel subtrahere de pretio?

Dico (*Ibid. ad 4.*) Venditor, qui privatim novit pretium mercium brevi minuendum ob futuram earum copiam, non tenetur id aperire emptoribus; sed, seclusa fraude, potest illuxa Justitia suas vendere pretio corrente si Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

tamèn id indicaret, aut de pretio minueret, abundantioris esset virtutis. Similitèr emptor, qui privatim novit pretium mercium brevi augendum, potest eas emere pretio corrente. Ita post Auctorem Cajetanum, Soto, Bannes, Sylvius, & alii communiter contra paucos. Prob. 1. Ex facto Joseph Gen. 47. qui sciens futuram inopiam frumenti & inde pretium augendum, magnam copiam emit pretio tunc corrente. Prob. 2. Is, de quo in conclusione, vendit, aut emit justo pretio: ergo. Prob. ant. Justum pretium est illud, quod communi æstimatione fori constituitur: ast is, de quo in conclusione, vendit, aut emit pretio communi æstimatione fori constituto; non enim ejus privata notitia mutat communem æstimationem: ergo. Neque refert, quod inde sequatur damnum emptori; id enim est præter intentionem venditoris, cum ipse dumtaxat intendat consulere indemnitati suæ utendo jure suo.

Confirmatur 1. Si venditor sciret pretium mercium esse brevi augendum, non posset nunc vendere suas merces pretio majori futuro, sed teneretur vendere pretio tunc corrente: ergo eodem pretio nunc corrente vendere potest, etiam si sciat esse minuendum: sicut enim non valet hæc argumentatio: *Res cras plus valebit: ergo possum hodie plus vendere*; sic non valet ista: *Res cras minoris valebit: ergo tenor hodie minoris vendere*. Confirmatur 2. ab inconvenientibus. Ex opposita sententia sequeretur, 1. Quod, si ignorans pretium mercium brevi minuendum venderet nunc pretio corrente, teneretur restituere emptori ratione rei acceptæ, quia venderet materia-liter injusto. 2. Quod, qui in animo haberet vendere intritidum magnam frumenti copiam, non posset hodie vendere aliquos modios pretio corrente, quia sciret ex sua futura venditione pretium fore minuendum; atqui hæc a nemine admittuntur: ergo.

Dices 1. Hoc est pretium justum, quod constituitur communi æstimatione, quæ sit prudens & vera; atqui communis æstimatio, qua constituitur pretium currens, in casu conclusionis non est prudens, quia non est facta attentis omnibus circumstantiis, quæ concurrere possunt ad valorem rei: neque est vera, quia fundatur in errore, scilicet quod non sit brevi futura copia mercium, cum tamèn sit futura: ergo. R. N. Minorem pro utraque parte. Ad probat. 1. partis dico, sufficere ad prudentem æstimationem, ut fiat attentis omnibus circumstantiis, quæ communiter cognoscuntur, aut communiter cognosci possunt. Ad probat. 2. partis nego, hæc communem æstimationem fundari in errore; non enim fundatur in hoc, quod futura, vel non futura sit copia mercium; cum enim id communiter ignoretur, ad illud non attenditur, sed fundatur in copia, vel inopia præsentis communiter cognita.

Repones: si emptor scivisset pretium brevi minuendum, non emisset: ergo ejus error est causa contractus. R. C. totum; nec inde aliquid potest erui contra nos. Cum enim ille error non sit circa substantiam rei, sed circa merum accidens, & quidem rei omnino extrinsecum, nec sit causatus a vendente, & aliunde res justo pretio vendatur, nihil nocet contractui; sicut non noceret, si iste error foret in utroque contrahente.

Dices 2. Copia rerum de facto existens minueret pretium: ergo & proximè futura; in moralibus enim, quod parum distat, nihil distare videtur. R. D. ant. copia rerum de facto existens minueret pretium, si esset communiter cognita, C. Si non esset communiter cognita, N. Quia, ut dictum est, pretium sumitur a communi æstimatione, & communis æstimatio a communi notitia, non a privata unius, vel alterius cognitione. Undè, etsi copia mercium foret actu existens in portu, in oppido, in quorundam officinis, sed id foret ignotum, aut quibusdam tantum privatis notum, non ideo minueretur pretium commune fori, quia non mutaretur ejus æstimatio.

Dices 3. Qui sciret suam mercem esse brevi corruptendam, puta equum moriturum, vinum in acetum degenerandum, teneretur emptorem monere, aut de pretio subtrahere: ergo similitèr. R. N. conseq. Disparitas est, quod dispositio ad corruptionem sit vitium rei intrinsecum, minuens ejus bonitatem & valorem, maxime cum possit cognosci ab expertis in arte, si rem examinarent. At copia, vel inopia mercium futura est quid extrinsecum rebus, earum bonitatem nec augens, nec minuens, nec cum sit ignota etiam expertis in arte, earum æstimationem mutans.

Ex dictis colliges 1. eum, qui privatim noscit Civitatem brevi obsidendam, posse absque injustitia merces suas, aut domum suam pretio corrente vendere. Item, qui scit pretium frumenti, aut monetæ ex decreto Principis, vel Senatûs, nondum promulgato, esse minuendum, posse sua